

obitum, cum mihi adeo singularis occurrat, ut non noveram aliam magis propriam.

Semina includo 3 sibirica, sub dio serenda, forte ea non habeas, Urtica, Cnicus, Crepis, et praeterea Fumariae nobilis semina.

Gloriosa egregiae floret in meo Horto. His vale.

Dabam Upsaliae 1768, d. 26. Septembr.


42.

Viro nobilissimo DD. Nic. Jacquinio Consiliario Imperiali s. pl. d. Car. Linné.

Laetor magnopere quod redditus sis Florae, quae per Te plura poterit proficere quam ab ullo alio. Gratulor Tibi tam honorificum salarium, quod etiam optime meruisti.

Semina Loasae omnium desideratissima, proh dolor non germinabant; licet a Te in hac vita unice exorare Loasae semina, quam plantam exoptarem magnopere videre, antequam ex hoc orbe discederem. Quaeso pro Tua in me gratia, si poteris procurare hujus semina ne mei memor immemor vivas.

Siccum specimen accepi Dionaeae, cujus folia capiunt insecta; sensibilia sunt, adeoque cum musca etcet. sedeat aut repat supra folium, complicat duo sua latera, uti phyllyra papyri dum clauditur, setis lateralibus impedit ne insectum exeat, et 3 spinulis in medio paginae impedit progressum, usque dum insectum lassum quiescit, dum folium sponte aperitur et permittit insectum abire.



Siccum etiam specimen *Calceariae Feuill.* accepi.

Singularis corolla figura Cypripedii, sed monopetala,